De adiectivis materiem significantibus quae in prisca Latinitate suffixorum -no- et -eo- ope formata sunt.

Dissertatio philologica

quam scripsit et ad summos
in philosophia honores ab amplissimo philosophorum
Vratislaviensium ordine rite impetrandos

die X mensis Septembris anni MCMVI
hora XII in aula Leopoldina publice defendet

Julius Schwede
Alzenaviensis.

Idem oratione ostendet,
secundum quas leges linguae in partes discedere soleant.

Vratislaviae,
Typis R. Nischkowsky.
1906.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit F. Skutsch.

Examen rigorosum habitum est die XVIII mensis Julii MCMVI.

Patris carissimi

memoriae

Praefatio.

De nominibus adiectivis Latinis materiem denotantibus, quae suffixorum *-no-* et *-eo-* ope formata sunt, explicationem uberiorem historicam nusquam invenies. Conferas

R. Kuehner, Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache (Hannover 1877) I p. 672,

Schweizer-Sidler, Lateinische Grammatik (Halle 1888) p. 182, 200,

K. Brugmann, Grundriss der vergleichenden Grammatik der indogermanischen Sprachen (Straßburg 1897) I^2—II [1]),

F. Stolz, Historische Grammatik der lateinischen Sprache I (Leipzig 1894) p. 472 sq., 478, 480 sq.,

Lindsay-Nohl, Die lateinische Sprache (Leipzig 1897) p. 364 sq.

Quibus in libris quae de hac re prolata sunt, non modo supplenda sunt, sed non raro etiam emendanda. Itaque operae pretium esse mihi videtur hanc materiam denuo aggredi. Quae cum sit copiosissima, satis habebo hac commentatione adiectiva materiem significantia, quae suffixis *-no-* et *-eo-* sunt formata, nascentia et crescentia et adulta ostendisse in prisca Latinitate. Materiam autem hoc modo distribuam, ut initium capiam ab adiectivis materiem denotantibus Indogermanicis, in tractatione ipsa autem primum agam de adiectivis suffixi *-eo-* ope a materiei vocabulis derivatis, deinde de suffixo *-no-* et de suffixo *-neo-* contaminato, tum de adiectivis suffixi *-eo-* ope ab arborum vocabulis deductis.

---

[1]) Altera secundi voluminis editione me uti iam non potuisse doleo.

§ 1.

Nomina adiectiva materiem significantia Indogermanica suffixi *-ino-* ope formari solebant; cuius invenimus has tres formas: *-a^xino-*, *-īno-*, *-ino-*[1]), quas Osthoffius[2]) tres gradus eiusdem suffixi esse iudicavit. Verum non omnes hae formae in omnibus linguis servatae sunt, sed omnes simul in lingua Lituanica sola exstant (*žąs-ënà* »Gänsefleisch«, *akmen-ýnas* »Steinhaufe«, *áuks-inas* »golden«); duae formae *-īno-* et *-ino-*, in linguis Slavica (*bĭbrov-ina* »Biberfleisch«, *želež-ĭnŭ* »eisern«) et Latina (*anser-īna* »Gänsefleisch«, *fāg-inus* »buchen«), *a^xino* et *-īno-* in Sanscritica (*sāmidh-ēnás* »auf Brennholz bezüglich«, *viśvajan-īnas* »allerlei Volk enthaltend«) reperiuntur; singulae formae in Iranica (*-a^xino-*: *drv-aen-i-* »hölzern«, *bawr-aen-iš* = *fibrīnus*) et in Germanica (*-īno-*: got. *gulþ-eins* = ahd. *guld-īn* »golden«) et in Graeca (*-ĭno-*: φήγ-ινος = *fāg-inus*) inveniuntur.

Forma autem *-ĭno-* ne in antiqua quidem lingua Latina servata est; nam exempla *fāg-inus, laur-inus, lentisc-inus, iunc-inus*, quae Brugmannus[3]) exhibet, ante aetatem auream formata esse non possunt, cum apud scriptores antiquissimos non exstent nisi formae *laur-eus* (Plaut., Cat.), *iunc-eus* (Plaut., Terent.), *fāgi-neus* (Cat. de agr. XXI, 5)[4]).

Dixerit fortasse quispiam ex ipso adiectivo *fāgineus* concludendum esse formam *fāginus* quoque iam in prisca Latinitate exstitisse. Sed adiectivum *fāginus* primum legitur apud Vergilium georg. III 172 sq.:

Post valido nitens sub pondere faginus axis
Instrepat —;

Vergilius autem cum hoc loco hos versus Homericos (E 838 sq.)

— μέγα δ' ἔβραχε φήγινος ἄξων
Βριθοσύνῃ —

---

[1]) Brugmann, l. m. II p. 146 sqq.

[2]) Morphologische Untersuchungen IV p. 357.

[3]) l. m. II p. 189 sq.

[4]) Numeros, quibus in auctoribus citandis usus sum, ex editionibus sumpsi his: Plaut. ed. Goetz et Schoell. Enn.² ed. Vahlen. Cat. de agr. ed. Keil. Cat. fr. ed. Jordan. Ter. ed. Dziatzko. Lucil. ed. Marx. Rhet. ad H. ed. Marx. Scaenic. fr. ed. Ribbeck. Histor. fr. ed. Peter.

imitatus sit[1]), inde elucet poetam Romanum analogia linguae Graecae inductum esse, ut formam *fagineus* in *faginus* mutaret. Causam vero, propter quam id fecerit, facile intellegi potest; verba enim *fagineus axis* ad metrum dactylicum inutilia sunt. Item „Ovidius vel pro adiectivo *fraxineus,* quod alibi ipse adhibuit, metri lege coactus — uno loco *fraxinus* vice adiectivi adhibere non dubitavit (her. XI 76)“[2]). Quomodo denique forma *făgineus* enucleanda sit, infra p. 21 sqq. exponemus.

Unum autem adiectivum in prisca Latinitate exstat, in quo suffixum -*ĭno*- Indogermanicum materiem significans agnosci potest, i. e. adiectivum *populnus,* quod ex **populĭnus* ortum est. Verum tamen multo verisimilius est in hoc vocabulo vocalem *i*, quae per syncopam intercidit, ex stirpis vocali *o* evasisse et suffixum -*no*- subesse, quo adiectiva *salignus* **salic-nos, ilignus* **ilec-nos*, *ahēnus* **ahes-nos,* umbr. *ahes-nes*[3]) utuntur.

Quae cum ita sint, agnoscimus etiam suffixum -*no*- materiem denotans, quod formam primam constituere possumus, ex qua illi tres gradus -*aˣino*-, -*īno*-, -*ĭno*- Osthoffiani vocalibus ultimis stirpium diversarum cum suffixo -*no*- coniunctis nati sunt. Atque si coniecturam incertam, in quam incidi, proferre licet, hanc suspicionem mihi natam esse fateor illas vocales esse terminationes casus locativi stirpium diversarum. Hinc fortasse etiam explicandum est, cur post stirpes, quae in -*es*- syllabum exeunt, suffixum -*no*- simplex appareat (*ahenus*, ἀλγεινός, φαεινός, sim. **ahes-nos,* *ἀλγες-νος, *φαες-νος); nam casus locativus earum stirpium suffixo -*i̯*- saepe carebat. De simili coniectura infra pag. 5 dicam.

Sed de adiectivis materiem significantibus suffixo -*no*- formatis in capite secundo uberius agam. Iam quaestio fiat in capite primo

---

[1]) cf. Conington in ed. Verg.

[2]) F. Skutsch, de nominibus lat. suff. -*no*- ope form. p. 31 adn. cf. Porph. ad Hor. sat. I 8, 1.

[3]) R. v. Planta, Grammatik der oskisch-umbr. Dialekte (Straßburg, 1892—1897), I p. 76, p. 273, II p. 31.

I.

De nominibus adiectivis materiem denotantibus in prisca Latinitate suffixi *-eo-* ope a materiei vocabulis derivatis.

§ 2.

Suffixum *-ino-* Indogermanicum ut in lingua Iranica suffixo *-a^x ino-* et in Germanica suffixo *-īno-*, ita in lingua Latina suffixo *-eo-* possessione, ut ita dicam, expulsum est. Hoc *-eo-* cum in Graeca quoque lingua, in qua suffixum *-ĭno-* nondum est mortuum, atque adeo in ipsis Homeri carminibus appareat neque vero in linguis cognatis, inde colligendum est eo tempore natum esse, quo gentes Indogermanicae iam eas sedes occupaverant, quas temporibus historicis ab iis teneri videmus. Quod igitur suffixum nostrum nisi apud Graecos et Romanos non invenimus, agnoscimus unam ex illis undis, quibus binae linguae vicinae secundum Schmidtii rationem inter se cohaerebant.

Sane Brugmannus[1]), Henry[2]), Stolzius[3]) suffixum *-eo-* iam in lingua Sanscritica invenisse sibi videntur, qui v. c. adiectivum *aur-eus* cum Sanscritico *hiranyá-yas* comparantes formam primigeniam **auré-i̯os* fuisse statuunt; igitur ad stirpem debilem nominum secundae declinationis suffixum *-i̯o-* additum esse putant. Ei comparationi, quatenus ad formam attinet, quamquam nihil obstat, tamen haec formatio ab lingua Latina nimis abhorret, quam ut eam probare possimus. Nam littera vocalis, qua stirpes in *-o-* vocalem exeuntes terminantur, ante suffixum *-i̯o-* semper evanescit; igitur suffixi *-i̯o-* ope ex auro **aur-ius* oriundum erat. Id verisimile est inter suffixi *-eo-* vocales aliquam litteram omissam esse atque hanc litteram *i̯* fuisse; quod ex formis Homericis χρύσειος, ἀργύρειος sim. apparet. Neque enim est, quod dubitemus, quin nomina *aur-eus, argent-eus* sim. atque Hom. χρύσ-ειος, ἀργύρ-ειος = Att. χρύσ-εος, ἀργύρ-εος eodem suffixo formata sint; utrum vero suffixum *-eios* adiectivorum Home-

---

1) l. m. II p. 121, 1109.
2) Précis de la grammaire comparée du Grec et du Latin[3] p. 44, 158.
3) l. m. I p. 472 sq.

ricorum materiem denotantium ex forma *-eiḭos* descendat, quod nuper Guilelmus Schulze[1]) denuo contendit, necne, id in medio relinquimus. Non dubium est, quin suffixum *-eo-* Graeco-Latinum[2]), quatenus materiem significat, a stirpibus *o* vocali terminatis natum sit. Itaque conicio hoc suffixum suffixo *-o-* ad casum locativum in *-eḭ* exeuntem, cum is nondum moribundus esset, adiuncto evasisse. Quod si ita est, etiam forma Sanscritica *hiraṇyáya-* enucleata est; nam ubi primum suffixum *-a-* ad casum locativum *hiraṇyē* additur, secundum legem Indicam vocalem *-ē* in *-ay-* transformari opus est. Verum difficile esse concedo significationem materiei ex significatione locali explicare.

Atque revera suffixum *-eo-* apud Graecos et Latinos materiem denotans ex stirpibus *-o-* vocali terminatis evasisse his argumentis demonstrari mihi videtur.

Primum enim nomina earum materiarum, quae solidissimae sunt, in linguis Graeca et Latina omnia fere in *o* vocalem exeunt. Sunt autem ex ordine

aurum = χρυσός
argentum = ἄργυρος
ferrum = σίδηρος
plumbum = μόλυβδος
lignum = ξύλον
saxum = λίθος, πέτρος.

Unum nomen *aes* (*ahes*), cui gr. χαλκός respondet, excipimus, quod ex temporibus Indogermanicis restat (cf. scr. *áyas* = idg. **áyes*). Ex aere autem suffixi *-no-* ope adiectivum *aenus* derivatum est; nam formam *aer-eus* inde ab aetate Varroniana demum invenimus. Item in prisca Latinitate ex ebore adiectivum *ebur-nus* deductum est; forma *ebor-eus* autem primum apud Petronium exsistit.[3]) Iam vero nisi terminatio *-eo-* primitus eis stirpibus, quae in *o* litteram

---

[1]) Zur Geschichte lateinischer Eigennamen p. 434 sq.

[2]) Quam rationem linguae Osca et Umbrica in suffixo *-eo-* adhibendo sequantur, nondum exploratum est (cf. R. v. Planta l. m. II p. 9).

[3]) *ebur-neus* Cic., Liv., Ov., al.

exeunt, se contineret, nihil obstitisset, quin ab initio etiam formae *aereus* et *eboreus* deducerentur.[1])

Deinde ea adiectiva, quae ex nominibus *o* vocali terminatis suffixi -*eo*- ope derivata sunt, omnium in antiqua lingua Latina usitatissima sunt. Nam legimus

adiectiva	in comoed. Plaut.	in prisca lingua universa
aureus	bis et tricies	undequadragies
argenteus	octies	decies
ferreus	decies	quater et vicies
ligneus	septies	vicies
plumbeus	quater	novies
saxeus	semel	quater
loreus	semel	sexies
ahenus	quinquies	septies decies
aheneus	nusquam	quater decies

Adiectiva autem a ceteris stirpibus suffixi -*eo*- ope deducta apud omnes scriptores antiquissimos multo rariora sunt quam ea, quae supra commemoravimus. Totam rationem si subducimus, habemus in prisca Latinitate adiectiva suffixo -*eo*- derivata ex stirpibus *o* vocali terminatis triginta duo[2]), ex stirpibus in *a* vocalem exeuntibus octo, ex ceteris undeviginti. Cui rationi etiam lingua Graeca convenit; nam in Homeri carminibus adiectiva hoc suffixo deducta ex stirpibus, quae in *o* litteram exeunt, me iudice habes decem, ex stirpibus *a* vocali terminatis unum, ex ceteris octo (χάλκ-ε(ι)ος, χρύσ-ε(ι)ος, ἀργύρ-εος, κυάν-εος, λίθ-εος, σιδήρ-εος, μαρμάρ-εος, ταύρ-ειος »rindsledern«, χοίρ-εος, εὐρυ-όδειος; πορφύρ-εος; νεκτάρ-εος, φλόγ-εος, δουράτ-εος, κύν-εος »hundsledern« (κυνέη), βό-ε(ι)ος »rindsledern«, αἴγ-ε(ι)ος »ziegenledern«, τέγ-εος, εὐ-τείχ-εος). Ergo inde quoque concludendum videtur esse suffixum -*eo*- a stirpibus, quae *o* vocali terminantur, exordium cepisse.

[1]) Eadem de causa ex robore **robor-eus* derivari non poterat. Legis apud scriptores antiquissimos unam forman *robus-tus* (Cat., leg. parieti faciundo CIL I 577), postea demum etiam *robust-eus* (Vitr.) et *robur-n-eus* (Col.), **robor-eus* nusquam.

[2]) Quo in computo conficiendo rationem non habui eorum adiectivorum quae suffixum -*neo*- contaminatum praebent. Quibus numerus augetur.

§ 3.

Nomina adiectiva suffixo *-eo-* formata proprie significant aliquid ex eo constare, quod substantivo primitivo denotatur:

Aureus igitur est »ex auro constans« vel »auri« (gen. qual.). Velut apud Plautum *nummi aurei* vel *Philippi aurei* (Asin. 153, Trin. 1139, Bacch. 882, Poen. 165 sq., 345, 713 sq., Bacch. 230, 590, 934, 1010) sunt nummi (Philippi), qui ex auro constant, vel nummi auri (cf. *nummus argenti* Pseud. 97), *patera aurea* (Amph. 260, 419, 760, 766) est patera, quae ex auro constat, itemque *spinter aureum* (Men. 530), *bulla aurea* (Rud. 1171), *anulus aureus* (Cas. 710 sq.) *aurea lunula* (Epid. 639), *securicula ancipes, itidem aurea, litterata* (Rud. 1157), *batiola aurea* (fragm. 53), *crepundia — aurea* (Rud. 1086 sq.); similiterque Mercurius (Amph. 144 sq.): *Tum,* inquit, *meo patri autem torulus inerit aureus Sub petaso: id signum Amphitruoni non erit*; Artotrogus (Mil. 16—18) dicit *illum cum armis aureis, Quoius — legiones* Pyrgopolinices difflavit *spiritu Quasi ventus folia*; Leaenae Phaedromus (Curc. 139) *vineam pro aurea statua* statuere vult, quae eius *gutturi sit monumentum*; quod quid sibi velit, alio loco eiusdem comoediae (v. 439 sq.) illustratur, quo Curculio parasitus Lyconi trapezitae narrat dominum suum velle *statuam — dare auream Solidam faciundam ex auro Philippo, quae siet Septempedalis, factis monumentum suis.* Simili modo Chrysalus (Bacch. 640) de se dicit: *huic decet statuam statui ex auro*; nam *amanti ero — regias copias aureas* obtulit, ut iocose dicit nummos aureos (ibidem 647). Itemque Strobilus gloriatur: *Picis divitiis qui aureos montis colunt Ego solus supero* (Aul. 701 sq.); montes aurei autem montes auri esse his ex locis apparet: *Neque ille sibi mereat Persarum Montis qui esse aurei perhibentur* (Stich. 24 sq.), *argenti montis* (Mil. 1065), *Modo non montes auri pollicens* (Ter. Phorm. 68). Denique adiectivum *aureus* proprio sensu positum reperimus una cum vocabulis *corona* (Cat. orig. VII 8, Auct. ad Her. IV 47) et *imber* (Ter. Eun. 585) et *coma* (Acc. in trag. Atreus: *Agnum inter pecudes aurea clarum coma* 211, cf. χρυσόμαλλος, nisi forte hic sensus subest de colore translatus).

Eodem modo *argent-eus* est »ex argento constans« vel »argenti«. Legimus *vasum argenteum* (Truc. 53), *vasa argentea* (Aul. 343, Auct. ad Her. I 12, 20 et 22), *vas' argenteis* (inc. inc. fab. 213); Phoenicio *pro lignea salute — argenteam remittere* vult Calidorus (Pseud. 45—48) i. e. pro salute, quam Phoenicium Calidoro in tabula lignea misit, salutem, quae ex argento (»in klingender Münze«) constat. Idem *nisi — dacrumis fleverit argenteis* (ibid. 100), quibus verbis Pseudolus in lacrumas Calidori iocatur, quarum loco dracumas potius eum flere iubet, amicam suam non nanciscetur, et ex Ballione (ibid. 347) *amicam suam esse factam argenteam* audit (i. e. veniisse). Danista denique, cui *argento os verberarier* Tranio vult, *perfacile ictus argenteos* se perpessurum dicit (Most. 620 sq.).

Similiter *ferr-eus* = »ex ferro constans« invenimus in Plauti comoediis una cum vocabulis *fores, limen, aedis, compes, sera, anellus* (Pers. 570—573), *tormentum* (Curc. 227), *cuneus* (Stich. 619), *catellus* (Curc. 691), *later* (Poen. 828: *praepeditus latere forti ferreo), negotium* (Pers. 21), quod ferro i. e. catenis constat ut argento *ictus argentei, salus argentea, dacrumae argenteae* (cf. supra); apud Ennium (ann. VIII 284) legimus *imbrem ferreum,* quippe qui ex telis ferreis constet ut *imber aureus* Danaes ex auro (Ter. Eun. 585), apud Catonem *uncos ferreos* (de agr. X 2, XI 2, XIII 1), *rutra ferrea* (XII), *columellam ferream* (XX 1, XXI 1), *fistulam ferream* (XXI 1), *tabulam ferream* XXI 2), *clavis ferreis* (XVIII 9), *imbricibus ferreis* (XXI 3), *armillis ferreis* (XXII 2), *foramen ferreum* (XXI 4), *ferreas* (X 3, XI 4, CLV 1) scil. *furcas* sive quid tale.

Tum *plumb-eus* = »ex plumbo constans« exstat una cum vocabulis *nummus* (Plaut. Cas. 258, Trin. 962, Most. 892), *cortina* (Cat. de agr. LXVI 1), *vas* (ibid. CXXII), quod etiam supplendum videtur CV 1 et CVII 1.

Porro *lign-eus* = »ex ligno constans« reperitur Plaut. Bacch. 935, ubi Chrysalus tabellas, quas Nicobulo delaturus est, cum equo comparat, *quem misere Achivi ligneum*; delatas cum senex perlegit, *turbat equos lepide ligneus* (ibid. 988). Item cum *equo ligneo* sacerdos Rud. 268 navem comparat, qua Palaestra et Ampelisca *per vias caerulas* sunt vectae; et *navem ligneam* Erotio Menaechmus alter narrat (Men. 402 sq.); *lignea* est deinde *custodia,* quam Lycus apud Agorastoclem subiturus

est (Poen. 1365); *lignea* est *salus*, pro qua Calidorus Phoenicio *argenteam remittere* vult (Pseud. 45—48, cf. supra p. 8); *ni ligneae — sunt, quas habet Victorias,* Astaphium (Truc. 275) Stratulaci pignus dato, i. e. ni ex ligno constant Victoriolae, quae ex auribus mulieris pendent.[1]) Apud Catonem autem *ligneus* saepe invenitur una cum vocabulis *orbiculus* (de agr. XXII 2 bis), *pala* (XI 5, XII), *pila* (X 5), *trulla* (XIII 2), *supellex* (XCVIII 2), *vas* (LXX 2, LXXI), *confibula* (si ea coniectura recta est, XII). Exstat denique cum vocabulis *candelaber* (Caec. com. 111), *solea* (Auct. ad Her. I 13), *signum Apollinis* (Coel. Antipat. fr. 54), *turris* (Claud. Quadrig. fr. 81).

Tum *sax-eus* = »ex saxo constans« legimus apud Liv. Andr. trag. 37: *Quo Castalia per struices saxeas lapsu accidit,* Plaut. Cist. 256: *saxeu . . .,* Acc. trag. 402: *Molem ex profundo saxeam ad caelum erigit,* ibid. 438: *hinc manibus rapere raudus saxeum grande et grave;* item *scrup-eus* = ex scrupo c. Enn. trag. 115: *scrupeo investita saxo,* Pacuv. trag. 310 sq.: *scrupeă templa.*

Tum *lor-eus* = »ex loro constans« apud Catonem exstat una cum vocabulis *funis* (de agr. III 5, XII, LXIII, CXXXV 5) et *medipontus* (III 5), sed etiam Plaut. Mil. 157, ubi senex Periplectomenus minatur: *ego vostra faciam latera lorea* i. e. ego vostra latera ita verberabo, ut ex loris constare videantur (cf. infra p. 34: *Mihi tibique interminatust nos futuros ulmeos* Asin 363 sq.).

Huc denique pertinet adiectivum *vin-eus* (= ex vino constans), quod a Plauto ex vino neutr. g. derivatum (Curc. 139: *vineam pro aurea statua statuam,* cf. p. 7) ab illo **vin-eus* pristino, quod a nomine pristino **vīnus* 〉 gr. οἶνος descendit et forma feminina *vinea* servatum est, differt (v. p. 35).

De nominibus autem *ahenus* et *ahen-eus* infra p. 18 sqq. dicam.

---

[1]) „Tales inaures Victoriis ornatae in sepulcris Graecis inventae sunt, v. Stephani Compte rendu de la Commission archéologique de St. Petersbourg pour 1859 tab. III 3" (Ussing in editione). Cf. etiam Hadaczek, Der Ohrschmuck der Griechen und Etrusker (Abhandlungen des arch.-epigr. Seminars Wien 1903, Heft XIV) p. 38 sq.

§ 4.

Compluribus eorum adiectivorum, de quibus adhuc verba fecimus, iam Plautus suffixum deminutivum *-lo-* addidit de significatione primitiva nihil mutans. Huiusmodi deminutiva invenimus haec:

aur-eo-lus = *aureus* (Plat. Rud. 1156: *ensiculus aureolus,* Epid. 640: *anellum aureolum,* Lucil. sat. 290 *aureolo — cinctu*),

argent-eo-lus = *argenteus* (Plaut. Rud. 1169: *ensicula argenteola*),

lign-eo-lus = *ligneus* (Lucil. sat. 224: *scutam ligneolam*).

Quas formas exemplis Plautinis demonstratur attractione substantivi, ad quod pertinent, deminutivi exortas esse. Ad eorum exemplar postea Afranius etiam formam *corn-eo-lus* = *corneus* = ex corno constans (v. p. 34) creavit (com. 225: *bacillum corneolum*). Postea imprimis poetae dactylici tales formas deminutivas adhibebant, ubi formae simplices in versum non quadrabant[1]).

§ 5.

Haec vero adiectiva, quae proprie materiem denotare intellexiums, iam a Plauto ita usurpantur, ut non id significent constare rem ex materia quadam, sed materiae illi quadamtenus similem esse. Tertium autem comparationis et ab exteriore parte, velut a colore aut nitore, et ab interiore, velut a pondere aut pretio, peti potest. Sed quomodo fieri possit, ut adiectivum materiae similitudinem solam significet, optime hoc exemplo Plautino illustratur, ubi ipsa comparationis particula addita est, Amph. 1096: *Aedis confulgebant, quasi essent aureae.* Haec particula autem fere omittitur; velut Ennio (ann. I 92) *sol — aureus* est de fulgore; *ocellus aureus, donum decusque amoris* Libanus a Philaenio appellatur (de pretio, nam *ocellus* = *deliciae*) Plaut. Asin. 691; ad colorem pertinet, quod Auctor ad Herennium rhetor. III 18, 31 suadet, ut memoriae causa, *ne forte in numero locorum falli possimus, quintum quemque placeat notari,* velut *in quinto loco*

[1]) v. E. Bednara A. L. L. XIV p. 592 sq. Skutsch, A. L. L. XV p. 38.

manum auream collocemus, in decumo aliquem notum, cui praenomen sit Decumo . . . Itemque *irae plumbeae* sunt irae, quae pondere tam graves sunt, quasi constarent ex plumbo (Poen. 813), *asinus plumbeus* est asinus, qui ignavia tam gravis est, quasi ex plumbo constaret (Ter. Haut. 877).

§ 6.

Iam ex eis adiectivis, quae adhuc pertractavimus, terminatio *-eo-* stirpium in *o* vocalem exeuntium suffixum suae potestatis facta et ad quaslibet stirpes adiuncta est. Adiectiva autem, de quibus nunc dicemus, secundum stirpes, ex quibus originem ducunt, discernere id parum commendationis habet. Magis consentaneum esse mihi videtur a significatione rationem explicandi petere.

Ac primum quidem propria significatione adiectiva, quae ex vocabulis materiam veram denotantibus suffixi *-eo-* ope derivata sunt, utuntur haec:

lān-eus = »ex lana constans« Plaut. Mil. 1178: *habeas — scutulam ob oculos laneam*;

plūm-eus = »ex pluma c.« Plaut. Bacch. 513: *ramenta plumea*;

cer-eus = »ex cera c.« Titin. com. 160: *arare campum cereum* = tabulam ceream;

lact-eus = »ex lacte c.« Liv. Andr. 38: — *alui lacteam immulgens opem*;

ign-eus = »ex igne c.« inc. inc. fab. 36—37: *igneum fulmen,* Auct. ad Her. IV 33, 44: *igneum ardorem*;

marmor-eus = »ex marmore c.« CIL. I 569 (c. a. 100 a. Chr. n.): *signa marmor(ea)*;

sulphur-eus = »sulphurosus« Enn. ann. VII 260: *sulphureas undas*;

pulmon-eus = »ex pulmone c.«; nam quod Charmides Rud. 511 nimis velit Labrax *pulmoneum — vomitum vomat,* hoc significat ipsum pulmonem evomere [1]).

Maxime explicatione dignum est nomen *consanguin-eus*, quod apud Plautum (Poen. 1037: *meis consanguineis*) et Pa-

---

[1]) cf. Most. 1110: *immo etiam cerebrum quoque omne mi e capite emunxti meo.*

cuvium (trag. 55: *consanguineam esse abdicant*) vice substantivi, apud Accium (praet. 21: *duos consanguineos arietes*) vice adiectivi apparet. Habemus compositum possessivum, quod grammatici Sanscritici Bahuvrīhi vocant, vel compositum mutatum, quod primitus **con-sanguis* (= eundem sanguinem atque aliquis habens) videtur fuisse; deinde ad exempla adiectivorum materiem denotantium imprimis eorum, quae in *-ineus* exeunt, velut *ferrugin-eus siligin-eus,* suffixum *-eo-* accepit. *Sanguineus* quidem exemplum fuisse vix potest, cum ante Ciceronem non inveniatur. Similiter atque *con-sanguin-eus* (= gr. ὅμ-αιμ-ος, ὁμ-αίμ-ων) formatum est adiectivum *collact-eus* (Iuven. 6, 307 F, inscr.[1]) = eodem lacte usus (= gr. ὁμο-γάλαξ et ὁμο-γάλακτ-ος) (Hygin. fab. 224: *collact-ius),* cuius forma simplici *lact-eus* iam Liv. Andronicus (38, cf. p. 11), deinde Lucretius, Cicero, Vergilius, Ovidius, Quintilianus, al. utuntur; quamquam Charisius: *conlactaneus,* inquit, *dici debet, nam conlacteus nemo dicit* (82, 12 K); verum formae, quae in *-aneus* exeunt, non vetustae sunt, sed pleraeque novissimae atque sermone vulgari tritae[2]).

Deinde facile fieri potuit, ut suffixi *-eo-* ope non solum ex eis vocabulis, quae materiem veram significant, sed etiam ex eis nominibus, quae res singulas denotant, adiectiva deducerentur, quae significarent aliquid constare ex rebus eiusdem generis compluribus. Cuiusmodi exstant adiectiva haec:

flamm-eus = »ex flammis constans« Pacuv. trag. 13: *flammeo vapore,* Acc. trag. 452: *torrus flammeus,* C. Jul. Caesar Strab. 3: *flammeam per aethram*;

ocul-eus = »ex oculis c.« Plaut. Aul. 555: *Argus, qui oculeus totus fuit*;

virg-eus = »ex virgis c.« Cat. de agr. CLII: *scopas virgeas*;

flor-eus = »ex floribus c.« Plaut. Aul. 385: *coronas floreas,* Men. 632: *cum corona florea*;

---

[1]) v. Olcott, Studies in the Word Formation of the Latin Inscriptions p. 241.

[2]) v. Kübler, A. L. L. VIII p. 170, Olcott, l. m. p. 239 sqq., C. Gloss. L. VI s. v. *collactaneus.*

caud-eus = »ex caudis c.« Plaut. Rud. 1109 et 1133: *cistellam caudeam*;

scirp-eus = »ex scirpis c.« Plaut. Aul. 595: *scirpe aratis*, Cat. de agr. X 3 et XI 4: *sirpea* (sc. *fiscina*) *stercoraria*;

iunc-eus = »ex iuncis c.« Plaut. Stich. 639: *potione iuncea* = iocose pro laqueo iunceo;

spart-eus = »ex spartis c.« Cat. de agr. III 5: *funibus sparteis*, XI. 2: *amphoras sparteas, urnas sparteas*;

rusc-eus = »ex ruscis c.« Cat. orig. VII 8: *rusceas fascias.*

Etiam *lin-ea* (Plaut. Most. 1070: *sensim mittam lineam*, Truc. 36, Cat. de agr. XIV 3, CLXI 1, Ter. Eun. 640, Lucil. sat. 831) i. e. restis, quae ex lini fracti fibris constat, et *gran-ea* (Cat. de agr. LXXXVI) i. e. puls, quae ex granis constat, originem ceperunt ab adiectivis *lin-eus* et **gran-eus*, quae apud scriptores antiquissimos non iam exstant; verum formam *lineus* postea, velut apud Ciceronem, reperimus.

Eis nominibus haec quoque adiectiva *pugn-eus, stimul-eus, verber-eus* addenda sunt, quae Plautus iocose formavit. Nam *mergis pugneis* i. e. mergis, quae ex pugnis, non ex ferro constant, Labraci *messis in ore fiet* (Rud. 763)[1]), et Mercurius Sosiam *hospitio pugneo accepturus est* (Amph. 296) i. e. hospitio, quod ex pugnis constat. Item *supplicium stimuleum* (Mil. 511) est supplicium ex stimulis constans vel supplicium stimulorum. Denique quod Pseudolus iratus de Simia sycophanta haec verba facit (Pseud. 911): *Sed eccum video verbeream statuam: ut it, ut magnifice infert sese*, dicere vult eum ita se ostentare, quasi statua ahenea aut marmorea esset, cum potius verberibus dignus esset. Tales figurae vocabulo *statua* et adiectivo aliquo materiem denotante formatae apud Plautum alibi quoque exstant; conferas, quae supra p. 7 de *statua aurea* et 9 de *statua vinea* diximus. Haec verba *verberea statua* praeterea Capt. 951 legimus, *verbereum caput* Pers. 184 paene idem est atque *verbero* (Amph. 284, Capt. 551).

[1]) cf. Men. 1012: *Hisce ego iam sementem in ore faciam pugnosque obseram*, Aul. 45: *Tibi ego rationem reddam, stimulorum seges?*

§ 7.

Significatione autem translata ex hac altera serie adiectivorum, quae ex stirpibus diversi generis descendunt, utuntur nomina *marmoreus* Lucil. sat. 860 (*pectore marmoreo*) et *flammeus* Enn. sat. 6—7 (*versus flammeos*).

Sed praeterea multa adiectiva apud scriptores antiquissimos reperimus, quae solam significationem translatam habent. Quorum plurima cum singulis locis legantur, non dubitabimus, quin ab eo scriptore, qui eis primus utitur, recens formata sint. Velut a Plauto *limaces, lividae, febriculosae, miserae amicae* etiam *oss-eae* appellantur (Cist. 405 sq.), quod quasi ex ossibus solis constant[1]); Pseudolus *pumic-eos oculos* habet; nam *lacrumam exorare ut expuant unam modo* non potest, quod hoc *genus — semper siccoculum fuit* (Pseud. 75—77); Philto *nil — faec-eos mores* moratur *turbidos, quibus boni dedecorant se* (Trin. 297 sq.); qui mores eodem modo quasi ex faece constant atque *miles stercor-eus* quasi ex stercore, cum *plenus periuri atque adulteri* sit (Mil. 88—90), atque *erus* Poenuli (825 sq.) *lŭt-eus* quasi ex lŭto, quod illo *neque periurior neque peior alter nusquamst gentium — neque tam caeno conlitus.* Similiterque quasi ex lapide constat Dinarchus, cum dicit: *lapid-eus sum, commovere me miser non audeo* (Truc. 818), et *lapideo corde,* ut ait Ennius (trag. 139), *sunt multi, quos non miseret neminis.* Translate invenitur denique adiectivum *must-eus* (Cat. de agr. VII 3: *mala mustea* et VII 4: *mustea cucurbitiva*).

§ 8.

Unum vero genus adiectivorum, quae nostro suffixo formata sunt, sed comparationem solam indicant, vel maxime pertractandum est. Sunt nomina colorem significantia. Cuiusmodi iam supra in numero eorum, quae ex stirpibus *o* vocali terminatis derivata sunt, adiectivum *aureus* = »colore auri« invenimus; item ex serie altera adiectivorum, quae ex diversis stirpibus deducta sunt, *flammeus* = »colore flammae« reperimus (Caec. 198: *flammeum expassum* scil. *velum,* Acc.

---

1) cf. Plaut. Capt. 135: *ossa atque pellis sum miser aegritudine,* Callim. hymn. VI 94, epigr. XXX 3, Theocr. II 90, Hor. epod. XVII 22, Ov. trist. IV 6, 42.

trag. 443: *frigit saetas rubore ex oculis fulgens flammeo).* Verum ea principio materiem significant et postea demum translate in usum venerunt. Ea autem nomina, de quibus nunc agemus, sensum translatum solum habent, ut nil nisi colorem denotent. Vetustissimum exemplum videtur esse adiectivum *purpur-eus*, praesertim cum usitatissimum sit. Quod esse nomen Graecum πορφύρ-εος in linguam Latinam translatum ut *purpura* = πορφύρα nemo negabit. At tamen cum πορφύρα – *purpura* non modo »die Purpurschnecke«, sed etiam »die Purpurfarbe« sit, adiectivum *purpureus* (πορφύρεος) revera significationem habet propriam et primitus denotat »ex purpura constans«. Consentaneum est hoc non ad interiorem, sed ad exteriorem partem solam pertinere eius rei, ad quam adiectivum attinet. Ac proprie *purpureus* = »purpura coloratus« invenitur Cat. orig. VII 10: *veste purpurea,* Lucil. sat. 568: *purpureo gausape,* Auct. ad Her. III 22, 37: *veste purpurea,* IV 47: *cum chlamyde purpurea.* Translate vero *purpureus* = »colorem purpurae similem habens« legitur Plaut. Men. 917 sq.: *purpureum panem,* Lucil. sat. 1270: *purpuream uvam.* Deinde suffixum *-eo-* etiam ad alias coloris significationes formandas adhibitum est. Nam ut *purpureus* est »purpura coloratus«, ita *lūt-eus* est »lūto coloratus«. Hoc autem et cetera nomina omnia non adhibentur nisi sensu translato. Reperimus enim haec:

lūt-eus = »quasi lūto coloratus« Plaut. Men. 917 sq.: *panem luteum*;

herb-eus = »colore herbae« Plaut. Curc. 230 sq.: *Quis hic est homo cum — oculis herbeis,* cf. Men. 828: *Viden tu illic oculos virere?*;

niv-eus = »colore nivis« Auct. ad Her. IV. 33, 44: *niveum candorem*;

ferrūgin-eus[1]) = »colore ferruginis« Plaut. Mil. 1178: *Causiam — ferrugineam,* 1179: *palliolum — ferrugineum*;

rub-eus = »colore rubi« (cf. *puniceis rubis* Prop. III 13, 28) Naev. trag. 6: *auri rubeo fonte lavere* ⟨*me*⟩ *memini manum.*

---

[1]) Contra *robigin-osus* »rostig« Plaut. Stich. 230: *robiginosam strigilem* non colorem robiginis, sed robiginem multam habens; quamquam *sulphur-eus* = sulphur-osus cf. p. 11.

Nomen vero *punic-eus* (Plaut. Men. 917—918: *panem puniceum,* Rud. 998: *puniceo corio,* 1000: *puniceum corium*) ex Graeco φοινίκ-ειος in Latinam translatum est ut *purpureus* = πορφύρεος.

§ 9.

Singulare est adiectivum *caeruleus,* cuius originem intellegere difficile est. Mihi quidem verisimillima interpretatio videtur esse eorum, qui *caerul-eus* ex forma **caelul-eus* dissimilatione consonantica exortum esse et ad vocabulum *caelum* pertinere putant; conferas, quos tibi ceterorum loco ascribo, Lindsay-Nohl, de lingua Latina p. 314 et F. Stolz, grammat. hist. p. 236[1]). Illud si verum est, *caerul-eus* est »colorem caeli[2]) habens« ut *herb-eus* colorem herbae, *purpur-eus* colorem purpurae, *ferrugin-eus* colorem ferruginis, *flamm-eus* colorem flammae, *niv-eus* colorem nivis, *rub-eus* colorem rubi habens. Velut Plautus mare nominat *campos caeruleos* (Trin. 834), Ennius *caeruleum* (ann. XIV 384 sq.), idem *anguem caeruleam*[3]) (scaen. 30); verba vero haec: *quae cava corpore caeruleo cortina receptat* (ann. I 9) ad caelum ipsum pertinere videntur (v. Varr. de l. L. VII 48). *Veste — caerulea* legimus Cat. orig. VII 10. Ennius autem cum forma *caeruleus* pro metro dactylico saepissime uti non posset[4]), pro ea adiectivum *caerulus* substituit, cum formarum *ahenus* et *aheneus, populnus* et *populneus, ilignus* et *iligneus, salignus* et *saligneus* meminisset. Itaque legimus ann. I 65: *in caerula caeli — templa,* 49: *ad caeli caerula templa,* II 143: *caerula prata,* ann. 509: *sagus caerulus,* ann. 516: *per caerula laetaque prata,* scaen. 292:

---

1) cf. qui nuperrime hanc rem tetigit K. E. Goetz, A. L. L. XIV p. 76 sqq.; Walde, latein. etymolog. Wörterbuch p. 81.

2) Sane deminutivum **caerulum* in lingua Latina per se non exstat, sed licet ad Graecum exemplum *οὐρανίσκος* provocare (e. c. Ath. V 196). Ceterum ex poetis dactylicis intelleges, quam cupide eiusmodi deminutiva formare soliti sint (v. p. 10).

3) cf. Hom. *Λ* 38—39:

τῆς δ' ἐξ ἀργύρεος τελαμὼν ἦν, αὐτὰρ ἐπ' αὐτοῦ
κυάνεος ἐλέλικτο δράκων, —

4) v. E. Bednara, A. L. L. XIV p. 593.

cava caerula candent. Atqui Plautus quoque semel formam *caerulus* adhibuit Rud. 268 sq.:

Nempe equo ligneo per vias caerulas
Estis vectae?

ubi quamquam *caeruleas* traditum est, tamen *caerulas* legendum esse ex metro apparet. Sed illa oratio, qua sacerdos Ptolemocratia mulieres advenientes Palaestram et Ampeliscam alloquitur, tanta gravitate insignis est, ut Plautum genus dicendi sublime comice imitari voluisse manufestum sit. Legimus autem in Ennii annalibus 514—518:

Et tum sicut equus qui de praesepibus fartus
Vincla suis magnis animis abrupit et inde
Fert sese campi per caerula laetaque prata,
Celso pectore saepe iubam quassat simul altam;
Spiritus ex anima calida spumas agit albas

(cf. Hom. Z 506 sqq. et Verg. Aen. XI 492 sqq.). Ergo hanc imaginem Homericam equi *campi per caerula laetaque prata* fugientis Plautum ex Ennio ad navem per mare vehentem comice transtulisse et adiectivo *caerulus* Ennio auctore usum esse arbitror. Formam *caeruleus* antiquiorem esse iam nemo negabit.

§ 10.

Denique singulare est nomen *testudin-eus*; nam hic haud scio an suffixum *-eo-*, cum ad substantivum animal denotans accedat, in fines suffixorum *-īno-* et *-i̯o-* transgredi videatur. Neque enim iure dicere possis hac peculiari formationis ratione Romanos formam **testudinīnus,* quippe quae male sonuisset, evitare voluisse. Habemus enim apud Plautum ipsum Rud. 598 adiectivum *hirundinīnus,* apud Titinium com. 171 *feminīnus, femineus* autem apud Ciceronem demum (poemat. II b 39 M), apud Varronem *asinīnus.* Sed ut illam causam aliquantulum effecisse concedamus, primaria certe causa est alia. Plautus enim cum Euclionem senem Staphylae anui minitantem facit Aul. 49: *Testudineum istum tibi ego grandibo gradum,* similitudinem indicare voluit: istum tibi grandibo gradum, qui est tamquam testudinis. Deduxit igitur ut ex ferrugine *ferrugineus* »eisenrostfarbig« ita ex testudine *testudineus* »schildkrötenartig«. Fortasse forma *testudineus* etiam

Plauti tempore significatione usa est hac »aus Schildpatt verfertigt«, quam nos legimus primum apud Varronem. Quod si verum est, apud Plautum etymologia quaedam popularis subest. Accedit, quod exemplum plane simile habemus, in quo Plautus non suffixum -*eo*-, sed suffixum -*ĭno*- adhibuit, quamquam similitudinem significare voluit. Nam Men. 888 senex medicum lentius incedentem inclamat: *move formicinum gradum* i. e. gradum, qui est tamquam formicae. Verum huic adiectivo nomen in *a* vocalem exiens subiectum est, a quo Romani non ita saepe adiectiva suffixi -*eo*- ope formare soliti sunt (v. p. 37).

II.

De contaminatione suffixorum -*no*- et -*eo*-.

§ 11.

Quoniam pro suffixo -*ĭno*- Indogermanico iam aetate litterarum Latinarum ineunte semper suffixum -*eo*- ad adiectiva materiae formanda adhibitum esse vidimus, nunc explicare conemur, quomodo fieri potuerit, ut suffixum -*eo*- cum suffixo -*no*- in -*neo*- contaminaretur. Hanc progressionem etiam nunc perspicere possumus.

Iam supra p. 3 tribus illis suffixi gradibus Osthoffianis -*a*^{x}*ino*-, -*ī̆no*-, -*ĭno*- Indogermanicis tamquam formam primigeniam suffixum -*no*- materiem denotans adiunximus. Ac primum quidem hoc servatur adiectivo *ahēnus* : umbr. *ahesnes*[1]) (cf. iran. *ayañh-aęna*-), cum ad nomen *aes* eo tempore, quo rhotacismus quem vocant nondum exstiterat, suffixum -*eo*-, quippe quod ex stirpibus *o* vocali terminatis evasisset, addi non potuerit. Hoc adiectivum *ahēnus* 〉 **ahes-nos* = »ex aere constans« invenimus apud Plautum Pseud. 656 (*vasa ahena*), Truc. 54 (*vasum ahenum*), 274 (*ahenos anulos*), et apud Ennium ann. 511 (*crateras ahenos*) et in senatus consulto de Bacchanalibus anni 186 a. Chr. n. (CIL. I 196: *in tabolam ahenam*). Praeterea nomen *ahenum* substantivum neutr. gen. solum nomine *vas* omisso in prisca Latini-

---

[1]) R. v. Planta, l. m. I p. 76, p. 273, II p. 31.

tate exstat legiturque apud Plautum Cas. 122 (*unum ahenum*), Pseud. 157 (*face plenum ahenum sit coco*), apud Catonem de agr. (X 2, XI 2, XIII 1, LXXIX), apud Caecilium (69), apud Titinium (128). Sed cum Plautus nulla alia forma nisi *ahenus*, quam testimonio senatus consulti de Bacchanalibus comprobatur antiquiorem esse quam formam *aheneus*, sive adiectivo sive substantivo utatur, tamen iam Cato ex substantivo *ahenum* suffixi -*eo*- ope adiectivum *ahen-eus* deduxit[1]). Exstat *ahen-eus* = *ahenus* = »ex aere constans« in Catonis de agricultura libro una cum vocabulis *orbis* (X 4, XI 2, XIII 1), *aula* (LXXXI), *trulla* (XIII 2), *vas* (LXVI 1, XCV 1, CXXII, CXXXV 2), nomine *vas* omisso XIV 2, XCVIII 2, CV 1, CVII 1, apud Lucilium (sat. 777 corrupte), apud Auctorem ad Herennium rhet. IV 12, 18 (*bacae aeneae*).

§ 12.

Deinde suffixum -*no*- materiem denotans adiectivis *populnus* 〉 **populi-nos*, *ilignus* 〉 **ilec-nos*, *salignus* 〉 **salic-nos* servatum est. In adiectivo *populnus* autem cum accentus in syllaba antecedente esset positus, *ĭ* vocalis per syncopam evanuit. Reperimus *populnus* = »ex materia populi constans« Plaut. Cas. 384: *populna sors*, *ilignus* = »ex materia ilicis constans« Ter. Ad. 585: *lectulos ilignis pedibus*, *salignus* = »ex materia salicis c.« Cat. de agr. XX 1: *cuneis salignis*. Sed his quoque in formis eodem tempore quo in forma *ahenus* i. e. fere saeculo III. a. Chr. n. exeunte suffixum -*no*- cum altero illo -*eo*- in -*neo*- contaminatum esse videmus. Neque dubito, quin haec progressio ab adiectivis *ahe-n-eus* et *lig-n-eus*, quorum *n* littera cum suffixo -*eo*- confundebatur, initium ceperit. Accedit, quod *i-lignus* et *sa-lignus* formae *ligneus* mirum in modum similes sunt. Itaque Cato usurpat formas *populneus*, *iligneus*, *saligneus* (*frondem populneam* de agr. V 8, XXX, LIV 4, *frondem iligneam* V 7, XXXVII 2, LIV 2,

[1]) Plaut. Truc. 272 habent codices A *a^e^neas*, in margine additum *aeneas* litterarum vestigiis iam non satis claris (v. Studemundi apogr.), Pal. *advenias*; Ussingius, quem secutus est Leo, hunc versum delere vult, tenent Goetz et Schoell; formam *aeneus* Plautinam non esse omnes editores consentiunt. Quamquam quo iure dubitari potest; conferas, quae supra p. 17 de adiectivo *caerulus* a Plauto Ennio auctore semel adhibito exposui.

vectes iligneos XXXI 1, *subscudes iligneas* XVIII 9, *iligneae virgae* XXXI 1, *perticis saligneis* XLIII 1). Iam his formis adiuvantibus primum terminatio *-neo-* facta est novum suffixum; cuius ope formatum est *quer-neus* ⟩ **querc(i)-neos* (Cat. de agr. V 8, XXX, XXXVII 2, LIV 4: *frondem querneam,* XXXIX 1: *materie quernea*); deinde in lege parieti faciundo anni 105 a. Chr. n.[1]) (CIL. I 577) col. II lin. 9 *postibus aesculnieis* (= ex materia aesculi constantibus) legimus; forma autem *aesculnieis* pro *aesculneeis* posita est[2]). Ad imaginem autem adiectivorum *populneus* et *aesculneus* adiectivum *ficulneus* a Catone creatum esse (de agr. XXX et LIV 4: *frondem ficulneam,* XXXI 1: *virgae ficulneae,* XXXVII 5: *ligna ficulnea,* CI: *ramulos ficulneos*) iam Skutsch de nominibus Lat. suff. *-no-* ope formatis p. 32 constituit; etenim *ficulneus* a deminutivo *ficula* derivatum esse nullo modo probabile est, quod id nihil significat nisi »kleine Feige« (v. Plaut. Stich. 690: *hoc convivium sit pro opibus nostris satis commodule nucibus, fabulis, ficulis*). Tum formationes *ilīgnus salīgnus* et *ligneus ilīgneus salīgneus* exitus *-gno-* et *-gneo-* praebebant. Qui cum ad stirpem *abiet-* accederent, *abiē-gnus* et *abiē-gneus* (= ex abiete factus) exorta sunt, quorum illud sine dubio antiquius est hoc; nam illud et apud Plautum (Cas. 384: *sors abiegna*) et apud Ennium (scaen. 247: *abiegna trabes*) et apud Accium (trag. 261: *stipitem abiegnum*) invenitur, hoc in lege parieti faciundo (CIL I 577 col. II lin. 3: *antipagmenta abiegnea,* lin. 4: *opercula abiegnea*). Quod eadem in inscriptione etiam *abiegnieis* (col. I lin. 19) legimus itemque (col. II lin. 9) *aesculnieis,* illam *i* cum Thurneyseno[3]) ita interpretamur, ut *ĕ* vocalem ante *ei* pristinam in *i* transgressam esse statuamus, quemadmodum in formis *ii* = *eei*, *iis* = *eeis, mieis* (CIL. I 38) = *meeis* aliisque factum est. Ceterum his formis *abiēgnus* et *abiēgneus,* cum eorum *ē* vocalis ante

---

[1]) Exemplar, quod nos habemus, quamquam non primigenium, sed aetate imperatoria restitutum est, tamen tam antiquam orationem ordinationemque dictionum praebet, ut non dubium sit, quin accurate sit redditum (cf. Wiegand, Die puteolanische Bauinschrift. ann. phil. supplem. XX. 1894. p. 670 sqq.).

[2]) cf. Thurneysen K. Z. XXX p. 500.

[3]) K. Z. XXX p. 500.

consonas *-gn-* non in *ī* abierit (cf. *ilignus* 〉 **ilegnus* 〉 **ilecnos*), demonstratur verum esse id quod Skutsch[1]) constituit, Romanos post *i* vocalem non modo *i* brevem in *ĕ*, sed etiam *ī* longam in *ē* dissimilatione transformavisse. Neque igitur Brugmannus[2]) aliique[3]) negare debebant nomina *ali-ēnus* et *lani-ēna* ex **ali-īnus* et **lani-īna* originem ducere[4]).

Reliquum est, ut de ea formatione, quae praeter eas, quas iam pertractavi, in prisca lingua Latina exstat, uberius dicam. Complectitur autem formas has:

fāgineus = »ex fago ortus« Cat. de agr. XXI 5: *materia faginea,*

oleāgineus = »ex olea ortus« ibid. LV et CXXX: *codicillos oleagineos*, XXXXVIII 1: *seminarium oleagineum,* XXXXIII 2: *capita oleaginea*, XXXXV 1: *taleas oleagineas,* XX 2: *orbes oleagineos,*

vitigineus = »ex vite ortus« ibid. XXXXI 3: *surculos vitigineos,*

abiēgineus = »ex abiete ortus« (= *abiegnus, abiĕgneus*) in eadem lege parieti faciundo (CIL I 577) col. I lin. 19: *trabiculas abiegineas*[5]),

fabāginus = »ex faba ortus« Cat. de agr. LIV 2: *acus fabaginum* »Bohnenspreu«.

Quas terminationes Skutsch l. m. p. 28 sq. tractavit, cui ego quidem non omnino assentio. Dicit enim vir ille doctissimus terminationes *-gino-* et *-gineo-* adiectivorum *oleagineus, vitigineus, abiegineus, fabaginus* — omitto *aprūgnus* (Plaut. Pers. 305 et Poen. 579) et *capreāginus* (Epid. 18) — translatas esse ex adiectivis, quae suffixo *-o-* vel *-eo-* a substantivis in *-āgin-*, *-īgin-*, *-ūgin-* exeuntibus derivata sint, velut *aurīgin-eus, calīgin-eus, cartilāgin-eus, ferrū-*

---

[1]) l. m. p. 13 sqq. Vollmöllers Jahresbericht V p. 60, A. L. L. XII p. 201 sq.

[2]) Sitzungsberichte der sächs. Ges. der Wiss. 1900 p. 408 sq.

[3]) R. v. Planta A. L. L. XII p. 367 sq.

[4]) cf. qui Skutschii sententiam probant Exon Hermath. XIII (1904) p. 150 sq. et Collitz BB. XXX.

[5]) cf. *iligineus* apud auctorem Queroli II 1: *domus iligineis foribus.*

gin-eus, fulīgin-eus, lanūgin-eus, silīgin-eus, similagin-eus, ferrūgin-us, quorum numerum augere possis his: *virgin-eus* (Verg., Ov., Hor. al.) et *imāgin-eus* (Sedul. carm. I 203, Venant. Fort. vit. S. Mart. II 276). Verum ex his adiectivis apud scriptores antiquissimos non reperiuntur nisi *ferrūgin-eus* et *silīgin-eus.* Itaque quamquam tales formas exemplo fuisse non praefracte negaverim, tamen aliam viam ingredior. Skutsch enim in editione, qua tum utebatur, apud Catonem de agr. XXI 5 formam *fāginus* legit, traditum autem est *fāgineus*, quod Keilius in editionem, quam curavit, recepit; tum vero *faginus* a Vergilio demum in linguam Latinam translatum esse supra p. 2 sq. comprobavi. Iam ab illa forma *fagineus* in adiectivis *oleagineus, vitigineus, abiegineus* enucleandis proficiscendum esse mihi videtur. Nam ubi primum illud suffixum *-neo-* ad stirpem *fāgo-* addis, en habes adiectivum *fāgi-neus* 〉 **fāgo-neus.* Hinc terminatio *-gineo-* ad stirpes *oleā-* et *viti-* adiuncta est, quippe ex quibus difficile esset sive suffixo *-neo-* sive suffixo *-eo-* quod quidem ad *oleam* attinet adiectiva formare. Qua ratione *oleā-gineus* et *viti-gineus* nata sunt[1]. Longa autem vocalis *a* in *oleāgineus* aut illa est, qua olim stirpes primae declinationis terminabantur, aut ad exemplum illius *ā* longae, quam *fagineus* ante exitum *-gineo-* praebet, posita est. Deinde ad imaginem adiectivorum *fagineus, oleāgineus, vitigineus* ex formis *abiēgnus* et *abiēgneus*, in quibus productio *ē* vocalis consonantium *gn* coniunctione effecta est qua productio *ī* vocalis in formis *līgneus, ilīgneus, salīgneus,* forma *abiē-gineus* creata est. Postquam hoc modo adiectiva in *-gineo-* exeuntia nata sunt, secundum responsionem suffixorum *-neo-* et *-no-* eiusmodi quoque adiectiva formabantur, quae in *-gino-* exirent. Sic exortum est *fabā-ginus*[2].

Sed analogiam per quas vias processisse arbitrer, optime perspicies ex hac tabella, qua nulla exempla continentur, nisi quae apud scriptores antiquissimos inveniuntur.

---

[1]) cf. etiam *tiliā-gineus* (Col. 12, 47, 5: *arculae tiliāgineae*) a *tilia.*
[2]) cf. deinde *oleā-ginus* (Nep., Plin., al.), *capreā-ginus* (Plaut.).

-no-	-eo-	-neo-	-gno-	-gneo-	-gineo-	-gino-
ahē-nus	ferr-eus	ahē-n-eus				
popul-nus		popul-neus				
	līgn-eus	fic-ul-neus				
ilīg-nus		ilīg-neus				
salīg-nus		salīg-neus	abiē-gnus	abiē-gneus		
		fāgi-neus			oleā-gineus	fabā-ginus
	silīgin-eus				viti-gineus	
	ferrūgin-eus				abiē-gineus	

III.

De adiectivis suffixi *-eo-* ope ab arborum vocabulis deductis.

§ 13.

Etsi suffixum *-no-* diutissime in adiectivis Latinis ex arborum vocabulis derivandis valuit, sive integrum, sive, ut fere fit, cum novo suffixo *-eo-* contaminatum, tamen hoc quoque loco moveri coepit. Haec progressio, quae iam aetate Plautina incipit, primum adiuta esse videtur illo genere, ut ita dicam, secundario adiectivorum materiem denotantium, quae suffixo *-eo-* ope ex plantarum vocabulis deducta sunt, ut aliquid ex compluribus eiusdem generis plantis constans significaretur, dico adiectiva *floreus, virgeus, rusceus, caudeus, iunceus, *lineus* (*linea*), *scirpeus, sparteus,* quae iam supra p. 12 sq. pertractavimus. Huc accedit, quod nomina arborum etiam materiae arborum vice fungi poterant; quare ubi aliquid ex alicuius arboris materia constans denotari opus erat, ex ipso arboris vocabulo adiectivum suffixi *-eo-* ope formari poterat quomodo ex ligno *lign-eus.* Hoc eo facilius fieri poterat, quod plurima arborum nomina stirpem *o* vocali terminant (*populus, pirus, malus, pinus, cornus, laurus, buxus, fāgus, ulmus, prunus, cerasus, alnus, fraxinus, corulus, aesculus, cupressus, cedrus, morus,* sed *acer, acacia, tilia, betula, nux, ilex, larix, salix*), suffixum *-eo-* autem, ut supra exposui, ab eis stirpibus originem cepit. Quomodo autem ille transitus factus sit, forsitan cognoscamus adiectivo *ulmeus,* quod apud scriptores antiquissimos omnium adiectivorum, quae suffixo *-eo-* ab arborum vocabulis sunt derivata, saepissime invenitur. Hoc quamquam illo suffixo ex ulmo deductum esse posse negare nolumus, tamen haud scio an opinio quaedam mea alio ducens speciem probabilitatis habeat paulo maiorem. Etenim cum Cato nullis aliis formis nisi *popul-neus* et *fāgi-neus* utatur, formam *popul-eus* autem Ennius demum metri lege coactus finxisse videatur[1]), forma vero *fāg-eus* aetate argentea demum reperiatur, quamvis eae omnes ex stirpibus *o* vocali terminatis descendant, inde concludendum videtur suffixum

[1]) v. p. 35.

-neo- in adiectivis ab arborum nominibus formandis prius adhibitum esse quam suffixum *-eo-* simplex. Itaque coniecerim etiam formam *ulmeus* ex **ulm(i)-neos* originem ducere. Enimvero vocalem *i* opprimi potuisse ex formis *quer-neus* ⟩ **querci-neus* et *populneus* ⟩ **populi-neus* apparet. Iam in eo quod restabat **ulmneus,* tres hae consonae contiguae erant *lmn.* In hac autem consonantium coniunctione conicio ultimam abolitam esse. Quam in sententiam si inquirimus, eo iuvamur, quod Iohannes Schmidtius in libro, quem inscripsit »Kritik der Sonantentheorie« (Weimar 1895) p. 87 sqq. demonstravit. Qui vir doctus constituit »in linguis Indogermanicis consonantes *-mn-* nusquam post consonantem servatas, sed aut in *-m-* aut in *-n-* sub quibusdam condicionibus, quas hic omitto, transgressas et post vocalem, si modo mutatae essent, eadem lege atque post consonantem transformatas esse«[1]. »In linguis autem Europaeis consonantes *-mn-* non mutatas esse nisi post syllabam longam et in formis nomini Graeco παλάμη respondentibus. Mutationem vero ex syllaba longa praecedente aptam esse, id linguis Italicis manufestum fieri; nam post vocalem longam in vocabulis vere Latinis consonantes *-mn-* semper in *-m-* esse transgressas velut in *rūmāre* (*rūmen*), *sublīmis* (*sub līmen*), *līmus* (bulg. *slina*), *spūma* (scr. *phēna*), (item in umbr. *persnī-mu*, osc. *censāmur*), at in nomine προῦμνον ex lingua Graeca translato in *-n-* (*prūnum*); post brevem autem vocalem consonantes *-mn-* integras apparere (*dămnum, alŭmnus, autŭmnus, colŭmna,* sim.«; l. m. p. 131 sq.). Igitur Schmidtius Latinum exemplum, in quo syllaba praecedens longa est positione velut in gr. εὔσσελμος (σέλμα), ἄσπερμος (σπέρμα) sim. pro *-σελμνος, *-σπερμνος positis (l. m. p. 93 sq.), proferre nullum potuit. Haec lacuna, quam nisi vocabulo *palma* explere non potuit, nomine *ulmeus,* si modo id ex **ulm(i)-neos* derivare licet, expletur. Verum ne hoc quidem satis sit, nisi simul alia exempla Latina afferri possint. Talia mihi quidem videntur esse nomina haec:

arma, culmus, almus.

Ea enim ex formis **arm(e)na, *colm(e)nos, *alm(e)nos* deduco.

---

[1]) l. m. p. 120 sq.

Sed priusquam ad rem ipsam demonstrandam aggredior, primum quidem suffixum *-mo-* primarium exstare iamque in lingua primigenia exstitisse non negamus; nam hoc cum in ceteris linguis Indogermanicis invenimus tum in Latina idque in nominibus his:

fāma, squāma, rāmus, lāma, trāma, hāmus, līmus »schief«, *līmus* »Schurz der Opferdiener«, *līma, fīmus, fīmum, anīmus, dūmus, fūmus, glūma, plūma, grūmus, strūma, lūma, rēmus, pōmus, pōmum, gemma, flamma, mamma, ulmus, armus, parma, norma, turma, formus, forma, firmus.*

Nam ceteras linguas si conferimus, fieri non potest, ut suffixum omnium illorum nominum ex forma *-mno-* deducamus (cf. e. gr. *fū-mus* : scr. *dhū-más* : gr. θῡ-μός : lit. *dú-mai* (plur.) : aksl. *dy-mŭ, for-mus* : scr. *ghar-máṣ* : gr. θερ-μός : arm. *ǰer-m, ani-mus* : gr. ἄνε-μος, *rē-mus* 〉 **res-mos* : gr. ἐρετ-μός, *fā-ma* : gr. φή-μη). Quare etiam verba *arma* et *culmus* et *almus* illius *-mo-* ope formata esse possunt. Quamquam haec nomina tum demum recte perspici mihi videntur, cum ea pristina participia praesentis medii vel passivi esse suspicamur. Cuius modi participiis formandis suffixum *-meno-* inserviebat. Tales formationes in Latina quoque lingua sunt servatae velut *leg-i-mini* = gr. λεγ-ό-μενοι, λεγ-ό-μεναι (sc. estis sive este)[1]), *fē-mina* 〉 **fē-mena* a radice *dhē-* »säugen«, quae inest in *fē-tus, fē-lix, fi-lius* 〉 **fē-lius,* gr. θῆ-λυς, θη-λή al., *alumnus* 〉 **al-o-menos, columna* 〉 **col-o-menos* a radice *cel-*, quae subest adiectivo *cel-sus, calumnia* : **calv-o-menos*[2]) a verbo *calvor,* alia, quae exempla Bechstein (Curt. stud. VIII, p. 378 sqq. = de nominibus Latinis suff. *-ent-* et *-mino-* ope formatis Diss. Lips. 1875) collegit.

Iam vero mirum est, quod lingua Baltoslavica pro suffixo *-meno-* suffixo *-mo-* ad participia praesentis passivi derivanda utitur itemque Lituanica ad participia futuri passivi, cum lin-

---

[1]) Id valet certe de forma indicativa; imperativum autem infinitivum priscum in *-menai* exeuntem (gr. *λεγ-έ-μεναι*) esse Wackernagelio (Verhandlungen der 39. Philologenversammlung zu Zürich 1887, p. 282) plerique assentiunt (cf. Brugmann, l. m. II. p. 155 sqq., Lindsay-Nohl, l. m. p. 613). Quamquam quam vere id fiat, dubito.

[2]) cf. Skutsch, Vollmöllers Jahresbericht II. p. 50.

gua Borussica forma -*mana*- et Iranica forma -*mna*- utatur[1]). Similis est varietas in linguis Italicis; nam in Latina eodem loco suffixum -*meno*- exstat quo in lingua Umbrica -*mo*-[1]). Quam discrepantiam ita interpretamur, ut in nonnullis linguis formam -*mo*-, in quam suffixum -*meno*- illis condicionibus, quas Schmidtius p. 120 demonstravit, transibat, solum obtinuisse statuamus. Iam vero persuasum habeo nos in ipsa quoque lingua Latina non modo illas reliquias participiorum in -*meno*- exeuntium, sed etiam reliquias habere participiorum, in quibus suffixum -*m(e)no*- in -*mo*- transgressum est. Velut adiectivum *opīmus* Brugmannus (Ind. Forsch. XVI p. 504 sq.) illa lege Schmidtiana nisus ex **opī-mnos* ortum atque participium praesentis medii vel passivi pristini verbi **opio* **opīre* esse putat. Quod etsi dubitationem quandam habere patet, tamen simili ratione equidem conicio verba, quae supra exhibui, haec:

arma, culmus, almus

ex participiis huius generis originem ducere.

Ac primum quidem nomen *arma* iam in Thesauro linguae Latinae s. v. cum gr. ἄρμενος : ἀραρεῖν : ἀραρίσκειν confertur. Ortum est ex **ar-mna* 〉 gr. ἄρ-μενα »Takelwerk« et significat ea, quae ad aliquid adiunguntur (»Ausrüstung«)[2]).

Deinde non dubium esse mihi videtur, quin substantivum *culmus* cum vocabulis *culmen* et *columen* et *columna* comparandum sit, quae omnia a radice *cel*- (cf. *cel-sus*, lit. *keliù* »ich hebe«; Osthoff, Transactions of the American Philological Association XXIV p. 53) descendunt. Nam si ad illam radicem suffixum -*men*- addis, habes **cel-men* et vocali ə (idg. »*schwa*«) inserta **cel-ə-men*; cum autem syllaba -*el*- ante consonantes consonantibus *j* et *l* exceptis et ante illam ə in *ol(ul)* transieret, formam **cel-men* in *colmen* 〈 *culmen* et formam **cel-ə-men* in *col-o-men* 〈 *col-u-men* transformari necesse erat, quemadmodum forma *volumus* ex **vel-ə-mos* orta est (Osthoff, l. m. p. 52 sq. et 59 sq.). Sin suffixi -*m(e)no*- ope participia

[1]) Schmidt, l. m. p. 101, Brugmann, l. m. II. p. 154.

[2]) Etsi „haec vocabuli vis (instrumenta cuiuslibet rei) cum ante Vergilium non agnoscatur, probabile est poetam ad exemplum vocis Graecae quae est ὅπλα usum creasse translatum“ (Thes. l. L. s. v. secundum Skutschii sententiam), tamen hac re de derivatione nostra nihil detrahitur.

praesentis medii sive passivi deducis, habes **cel-m(e)nos* (i. e. sursum tendens) et **cel-o-m(e)nos* (i. e. qui erigitur); cum autem syllaba *-el-* etiam ante *o* vocalem in *-ol-* *(ul)* sit transgressa (Osthoff, l. m. p. 51), nascuntur **col-mnos* et **col-o-mnos.* Hoc servatum est forma feminina *columna*[1]), illud, cum consonantes *-lmn* continuas enuntiare difficile sit, in **col-mos* ⟨ *cul-mus* transiit.

Eadem ratione enucleamus adiectivum *almus.* Quod ex radice alendi venire inde a temporibus priscis plurimis erat persuasum; conferas e. c. Paul. Fest. p. 7: *alma: sancta sive pulchra, vel alens, ab alendo scilicet*; Serv. Aen. I 306: *alma lux dicta, quod alat universa, unde et alma Ceres, quod nos alat*; Thes. ling. Lat. s. v. Significationem autem huius adiectivi revera activam esse elucet ex Plaut. Curc. v. 358: *invoco almam meam nutricem Herculem,* Lucr. V 230: *almae nutricis loquella,* Tib. I. 10, quo in carmine *pax alma* (67) celebratur, quae *aluit vites* (47) et *arva colat* (45), Verg. Aen. VII 644: *terra alma,* georg. II 330: *ager almus.* Deinde ad deorum nomina epitheton ornans adhibetur, primitus ut videtur Veneris, tum aliorum. Hinc ceterae denotationes fluxerunt. Formam autem ut recte intellegas, necesse est te meminisse formae *fē-mina,* quae proprie significat »die säugende«[2]). Sic etiam *almus* »nährend« pristinum participium praesentis est et ex **al-mnos* ⟩ **al-menos* evasit. Cui forma thematica *alumnus* ⟩ **al-o-menos* »genährt werdend«, quae participium praesentis passivi est, respondet ut *culmus* ⟩ **colm(e)nos* nomini *columna* ⟩ **col-o-m(e)na.* Eadem a radice alendi praeterea provenerunt formae, quae suffixo *-men-* derivatae sunt, hae:

almen, quod legis Anthol. Lat. p. 255 sq. R^2 in versibus *in diaconum festinantem ad prandium cauponis:*

> *Pulpita templorum, ne pulpita quaere tabernae,*
> *Almina*[3]) *quo caeli, non fialas referas,*

et *alimentum* (passim) ⟩ **al-ə-men-tum* (cf. *cul-men* et *col-u-men* ⟩ **col-ə-men*).

---

[1]) Nam eorum sententiam, qui putant columnam suffixo *-eo-* a columine deductam esse, ego quidem improbo.

[2]) Joh. Schmidt, l. m. p. 105.

[3]) Ex Salmasiano restituit Skutsch A. L. L. XIV p. 429.

Totam denique rationem si subducimus, in lingua Latina consonantes *-rmn-* et *-lmn-* continuae in *-rm-* et *-lm-* transierunt.

Neque dubito materiam nostram novo incremento augere. Iam Ebel[1]) coniecit nomina *incolumis* et *calamitas* eiusdem originis esse, demonstrare non conatus est. Sententiam vero Corsseni[2]), qui vocem *calamitas* a calamo (Gr. κάλαμος!) deduxit, hodie nemo probabit. Neque verisimilius est, quod Lindsay[3]) auctore Buechelero[4]) proponit; qui calamitatem cum osc. *cadeis amnud* »mit der Absicht zu schaden, aus Bosheit« et gr. κεκαδῆσαι (= βλάψαι, κακῶσαι, στερῆσαι Hesych.) comparans radicem cadendi agnoscere et *d* litteram in *l* mutatam statuere vult, quod Mario Victorino auctore (8,15 K) Pompeius pristinam scribendi et enuntiandi rationem *kadamitas* maluisset[5]). Sed ut hoc testimonium verum sit, tamen putamus formam *calamitas* esse primigeniam, *cadamitas* autem arbitrio loquentis ex illa ortam esse vel etymologiam quandam popularem subesse, qua hoc nomen ad radicem cadendi referebatur (cf. Isid. I 26, 14 et VII 6, 5: *a cadendo enim nomen sumpsit calamitas*; Corssen, l. c.). Ego vero deduco illa nomina a verbo calvendi et in adiectivo *in-colu-mis* et in substantivo *calamitas* pristina participia praesentis suffixo *-m(e)no-* formata inesse suspicor. Calamitatem autem hoc a verbo descendere iam in scholiis Terentianis[6]) legis: *a verbo calvo id est decipio venit calamitas id est deceptio vel miseria.* Quemadmodum enim verbum *de-cipio* inde ab origine »wegfangen«, sic verbum *calvo(r)* primitus significat *partes alicuius personae vel alicuius rei eminentes decidere, abscidere, demere* vel *detruncare, mutilare.* Quod ex Pacuvii fragmento hoc (396): *Postquam calamitas complures annos arva calvitur*

---

[1]) K. Z. VI p. 216; Havet, M. S. L. VI p .27. Iamdudum, antequam coniecturam, quam Ebel fecit, casu fortuitoque cognovi, ego ipse haec nomina ab eadem stirpe derivanda esse intellexeram, cum apud Ciceronem (pro Plancio 12) verba haec *incolumem a calamitate* legissem.

[2]) Kritische Nachträge zur latein. Formenlehre. Leipzig 1866, p. 274 sqq.

[3]) Lindsay-Nohl, die latein. Sprache, p. 326.

[4]) in Brunsii fontibus iuris Romani antiqui[6] p. 49 adn.

[5]) Nil novi affert Walde, latein. etym. Wörterbuch.

[6]) p. 140 (ed. F. Schlee).

et ex Plauti Cas. v. 171: *sopor manus calvitur* (»beeinträchtigt, lähmt«) intellegitur. Significatio autem frustrandi secundaria est. Nam cum verbo *calvo(r)* adiectivum *calvus* (= *vīvo*: *vīvus*) confero. Quod similiter formatum est atque *salvus*. Iam vero Solmsen[1]) constituit formas *calvus* et *salvus*, quod apud Plautum et Terentium tribus syllabis utuntur[2]), ex formis *calŭos* et *salŭos* esse ortas, quoniam *v* littera litterae *l* non adaequata sit; deinde ex osc. Kalúvieis et ex forma Umbrica *saluuom* sequi, ut *calŭos* et *salŭos* originem ceperint ex **calou̯os* et **salou̯os*. Itaque cum his in formis suffixum *-ou̯o-* agnoscamus, forma **salou̯os* plane cum gr. ὀλοός convenit, quod Suidas habet et ex Hesych. ὀλοεῖται · ὑγιαίνει concludendum est[3]). Quomodo autem praeter κενεός ⟩ *κεν-εϜός forma κενός ⟩ *κεν-Ϝός exstat, praeter illas quoque reperiuntur formae, quae brevius *-u̯o-* praebent suffixum, hae: scr. *(ati-)kulvas* et *sarvas* = gr. οὖλος = att. ὅλος ⟩ *ὅλϜος, quibus formae Indogermanicae **kal-u̯os* et **sol-u̯os* videntur subesse. Utrum vero ipsum adiectivum *sollus* = osc. *sullus* (omnes) ex **sol-u̯os* evaserit, cum Solmsen[4]) denuo dubitet, num litteras *-lu̯-* Romani in *-ll-* transformaverint, an ex **sol-nos*, quocum idem cymr. *holl* »ganz« et breton. *holl* »alles« confert, hoc loco nihil nostra interest. Satis habemus constituisse in nomine Latino *salvus a* vocalem, in gr. ὀλοός vel ὅλος *o* vocalem exstare. Enimvero nunc adiectivum *calvus* cum gr. κόλ-ος (Hom. Π 117, Herod. IV 29 al.) et κολ-οβός (Xen. Cyr. I 4, 11, Arist. Met. IV 27 al.), verbum *calvo(r)* cum gr. κολ-ούω (Hom. Φ 369, al.) comparo. Quae radix *kol-* significat aliquid aliqua parte privatum esse extrema. Velut κόλον δόρυ, quod Τελαμώνιος Αἴας πῆλ' αὔτως ἐν χειρὶ (Il. Π 116–117), est »hasta cuspide privata«, τὸ γένος τῶν βοῶν τὸ κόλον (Herod. IV 29) est »genus boum cornibus privatum vel carens«, τὸ κολό-κυμα (Ar. Equ. 692) est κωφὸν κῦμα (e. c. Il. Ξ 16) i. e. »unda crista obtusa«; sic *homo calvus* est »homo capillo privatus«, *vinea a vite calva* (Cat. de agr. XXXIII 3) est *vinea a vite calvata*

[1]) Studien zur latein. Lautgeschichte p. 135 sqq.

[2]) v. L. Havet, de Saturnio p. 52 (adn. 1), p. 82, M. S. L. VI p. 52, p. 116.

[3]) cf. Solmsen, K. Z. XXXVII p. 16.

[4]) K. Z. XXXVII p. 16 et XXXVIII p. 437 sqq.

(Plin. XVII 196). Ut autem adiectivum *calvus* denotationem »kahl« accepit, sic verbum *calvo*(*r*) significationem praecipuam fraudandi assumpsit.

Verum tamen forma κόλος cum et in Homeri carminibus et in Herodoti scriptis inveniatur neque vero *κοῦλος, fieri non potest, ut ex *κόλ-ϝος quomodo att. ὅλος ex ὅλ-ϝος orta sit, sed suffixo *-o-* uti debet ut **sol-os,* quod vocibus *sol-eo, sol-idus, sol-ox* subest[1]). Sin quaerimus, cur in stirpe formarum *cal-vus* et *sal-vus a* vocalis, in forma vero *sollus* vocalis *o*, quam formae Graecae unam habent, appareat, eius rei meliorem interpretationem ea, quam Solmsen K. Z. XXXVII p. 16 dedit, proferre non possum, quoniam sententia Thurneyseni[2]), qui *v* litteram ad *o* vocalem *l* consonae praecedentem mutandam aliquid valuisse statuit, mihi quoque probabilis non est. Solmsen autem illa lege, qua in lingua Latina *l* et *r* sonantes ante vocalem syllabis *ar* et *al* redditae sunt[3]), fretus vocabula *salvus* ex **səl-e̯uos, salus* ex **səl-ū-, calvus* ex **kəl-e̯uos, valva* ex **vəlu-ā, malva* ex **məlu-a* vel **məl-e̯ua* orta esse coniecit. Cui opinioni verba *volva, volvo, solvo,* quippe quae ex **vĕlŭa* (cf. δελφύς, ἀ-δελφός), **vĕlŭō* (cf. ἐλυ- 〉 ἐλύσθη, εἰλύομαι 〉 *ἐϝελύομαι), **sĕlŭō* (cf. *sed*) evaserint[4]), nullo modo repugnant.

Quoniam hac ratione demonstravisse mihi videor verbum *calvo*(*r*) et adiectivum *calvus* ab eadem radice descendere atque gr. κόλ-ος, κολ-ούω, κόλ-οβος, nunc ex eis, quae de formis *culmus columna* et *almus alumnus* derivandis iam supra exposui, facile intelleges, qua via nomina *incolumis* »unverstümmelt«, »unversehrt« et *calamitas* »die Verstümmelung«, »die Versehrtheit« nata sint. Nam si suffixi *-m*(*e*)*no-* ope a radice *calv-* participia praesentis formas, habes **calv-m*(*e*)*nos* et **calv-om*(*e*)*nos.* Cum autem *v* littera et inter consonantes et ante vocalem *o*[5]) evanescat, deinde fiunt **cal-mnos* et

---

[1]) v. Solmsen K. Z. XXXVII p. 16.

[2]) K. Z. XXVIII p. 155 sq.

[3]) v. Osthoff, Transactions of the American Philological Association XXIV p. 52, A. Meillet, M. S. L. VIII p. 279, Brugmann, Vergleich. Grammat. I² p. 467.

[4]) Solmsen, Studien z. lat. Lautgeschichte, p. 2.

[5]) Solmsen l. m. p. 36 sq.

calo-mnos. Hoc non modo in *calumnia*[1]), sed etiam in adiectivo *in-columis* servatum est; nam in forma *in-calomnos* primum *a* vocalis post accentum ante *l* consonam, quae propter vocalem *o* sequentem gutturalis est, in *o* abeat necesse est; deinde consonantes *-mn-* longius a prima syllaba, quae olim accentum habebat, distant, quam ut integrae manere possint; nam conare formam *ín-colomnos* sine labore enuntiare : iam ex illis consonantibus te invito *n* consonans fugiet[2]). Quod denique pro *-mo-* terminationem *-mi-* habemus, admoneo te v. c. formarum *in-ermis* praeter *in-ermus*, quibus Cicero aequo modo utitur, *in-firmis* (Amm. 20, 6, 6) = *in-firmus, dē-formis, in-formis, ē-normis,* sim., deinde formarum *testis* 〉 **testus* 〉 **terstus* **tristus*[3]) (osc. *trstus*), *caele-stis* 〉 **caele-stus, agre-stis* 〉 **agre-stus.* Illud **calmnos* autem calamitati subest. Etenim consonis *-lmn-* in *-lm-* quemadmodum in nominibus *culmus* 〉 **colmnos, almus* 〉 **almnos* transgressis primum ex **calmos* forma **calmitas* deducta est; deinde post liquidam vocalis *a* ea via, quam svarabhaktim Indi vocant, inserta est, quam etiam in vocabulo *căl ă-mentum*[4]) »verdorbenes Holz am Weinstock« (Col. IV 27, 1) ab eadem radice *calv-* suffixi *-men-to-* ope me iudice derivato cognoscimus.

Sed cum illam *a* vocis *calamitas* hac ratione interpretatus grammaticis nostris repugnare videar, qui eam vocalem per assimilationem ortam esse docent[5]), opus est me meam sententiam argumentis diligentius quantum potero stabilire.

Ac primum quidem nimirum etiam ei, qui nomen *calamitas* ex **calimitas* natum esse dicunt, *i* vocalem inter consonantes

---

[1]) cf. Skutsch, Vollmöllers Jahresbericht II p. 50.

[2]) Alia exempla Latina sane afferre non possum; sed cf. gr. *νώνυμος* (Hom. *ν* 239, *ξ* 182) praeter *νώνυμνος* (*M* 70, *N* 227, *Ξ* 70, *α* 222), *ἀνώνυμος* (*ϑ* 552), *ἐπώνυμος* (*I* 562, *η* 54, *τ* 409), *ἀπάλαμος* (Hesiod. op. 20, Pind. ol. I 59) praeter *ἀπάλαμνος* (Pind. ol. II 57), al. (Schmidt, l. m. p. 127 sq.)

[3]) Ingeniose interpretati sunt Henry Bull. de la soc. de lingu. VII p. C III et Skutsch Bezz. Beitr. XXIII p. 100 sqq.; cf. praeterea Solmsen K. Z. XXXVII p. 18 sqq., Meringer, Idg. Forsch. XVI p. 169 sqq., Fay, Class. Rev. XX (1906) p. 255.

[4]) Deest apud Walde, lat. etymol. Wörterbuch, 1906.

[5]) F. Sommer, Handbuch der latein. Laut- und Formenlehre p. 121, 125; Riemann-Goelzer, grammaire comparée du Grec et du Latin I p. 132; Schweizer-Sidler, Gramm. der latein. Sprache, p. 41; Brugmann, l. m. I² p. 221 et p. 839.

l et *m* per svarabhaktim quam vocant irrepsisse arbitrari videntur; nam quo alio modo illam vocalem interpretari possunt? Quod eidem deinde assimilationem accessisse contendunt, cur dicitur verbi causa *alimentum*, non **alamentum*? Igitur cum subesse non possit assimilatio, non possumus, quin in nomine *alimentum* vocalem *i* antiquiore tempore ex alia vocali per debilitationem, in nomine *calamitas* autem *a* vocalem recentiore tempore per anaptyxin quam dicimus ortam esse statuamus. Etenim cum accentus vocis *calamitas* primitus in *a* vocali primae syllabae esset positus, quem etiam fragmentum illud Pacuvianum (396) videtur servare, illa *a* autem brevis esset, vi accentus inter liquidam et nasalem vocalis eiusdem coloris atque praecedens in enuntiando illata est. Sic puto etiam adiectivum *ălăcer ălăcris*[1]), dummodo id ex stirpe *alc-*: gr. *ἀλκ-ί* (Hom. Ν 471, Σ 158, ζ 130) ⟩ *ἄλκ-ι-μος*, *ἀλκ-ί-φρων* derivemus, enucleandum esse, quod apud Plautum, qui eo semel utitur Amph. 245: *equites cum clamore involant impetu alacri*, idem videtur significare atque gr. ἄλκιμος (cf. Eur. Heracl. 678: *μάχη ἄλκιμος*); de suffixo conferas formas *ăc-er ăc-ris*, *oc-ris* (Liv. Andr. 31) = ὄκρις, *săc-res* (Plaut. Rud. 1208) = *săc-ri*. Haec autem anaptyxis quae dicitur in nominibus *calamitas*, *calamentum*, *alacer* tum demum exstitit, postquam illa lex, qua vocalis syllabae secundae debilitanda erat, valere desiit.

Quoniam me tibi persuasisse spero et nomina *incolumis* et *calamitas* a participio pristino praesentis medii vel passivi verbi *calvo*(*r*) descendere, a quo *calumniam* venire iamdudum inter omnes constat, et consonantes *-mn-* post liquidas *r* et *l* a Romanis in *-m-* transformatas esse, nunc redeo ad propositum.

Fieri igitur potuisse, ut forma *ulmeus* ex **ulm*(*i*)*-neos* oreretur, non negabis; sed utrum revera hoc adiectivum primitus suffixum *-neo-* contineat ut *popul-neus* et *ficul-neus* et *fagi-neus*, an simplex *-eo-*, id diiudicari iam non potest. Quae cum ita sint, hoc illo mihi verisimilius videtur.

Adiectivum *ulmeus*, quod apud Plautum novies, decies apud Catonem invenis, significat aliquid ex ulmo ortum; nam *frons ulmea* (Cat. de agr. V 8, XXX, LIV 4 ter) est frons,

[1]) Nescio an etiam *Fălăcer* Varr. de l. L. V, 84 et VII, 45 (cf. Stolz, l. m. p. 504).

quae ex ulmo orta est, itemque *materia ulmea* (ibid. XXI 5, XXXI 2), *scopae ulmeae* (CLII), *vectes ulmei* (XXXI 1), *virgae ulmeae* (XXXI 1, Plaut. Asin. 341, 575, Pseud. 333); *ulmei fasces virgarum* (Epid. 28) sunt fasces ulmearum virgarum, quibus servi verberari solebant. Varii sunt sermones iocosi, quos Plautus adiectivi *ulmeus* ope format, et digni, qui exhibeantur. Veluti Daemones senex Trachalioni servo *ulmeam uberem — virgidemiam* fore minatur (Rud. 636) i. e. uberem messem virgarum ulmearum, quae Trachalionis tergo quasi vindemia uber obtinget. Item *quasi in libro quom scribuntur calamo litterae, stilis* Pseudolum *totum usque ulmeis conscribito*[1]) Simo (Pseud. 544—545), i. e. stilis ex ulmo ortis sive virgis ulmeis. Quin etiam imagini pulcrae Epidicus (625—626) comparat corium suum, *quem Apella et Zeuxis duo pingent pigmentis ulmeis* i. e. pigmentis, quae virgae ulmeae in corio relinquent; et Toxilus servus videat modo, *ulmeae catapultae* suum *ne transfigant latus* (Pers. 28). Quod denique Libanus servus cum Leonida servo communicat (Asin. 363—364): *Mihi tibique*, inquit, *interminatust* senex Demaenetus *nos futuros ulmeos, ni hodie Argyrippo essent viginti argenti minae*, inde cognoscimus Plautum adiectivo *ulmeus* hic similiter usum esse atque Mil. 157 adiectivo *loreus*, ubi senex Periplectomenus minatur: *ego vostra faciam latera lorea* (cf. p. 9).

§ 14.

Suffixum *-eo-* praebent deinde adiectiva *laur-eus, pin-eus, corn-eus, bux-eus, murt-eus, vin-ea* 〉 **vin-eus, popul-eus, nuc-eus* substantivumque *mustāc-eus*. Legimus

laur-eus = »ex lauro ortus« Cat. de agr. XXXI 1: *vectes laureos*, LXX 1 et LXXVI 3: *folia laurea*, Plaut. Cist. 201: *parite laudem et lauream* (sc. *coronam*), Cat. de agr. VIII 2: *loream* (sc. *arborem*) *delphicam et cypriam et silvaticam*;

pin-eus = »ex pino ortus« Cat. de agr. XVIII 8: *stipites pineas*, XXXI 2: *pineam materiam*, XXXXVIII 3: *nuces pineas*;

corn-eus = »ex corno ortus« ibid. XVIII 9: *corneis clavis*;

bux-eus = »ex buxo ortus« CIL I 198,51 (anni 121 a. Chr.): *sorticulam buxeam*;

[1]) cf. Catull. XXV 10 sq.

murt-eus = »ex murto ortus« Cat. de agr. CI: *virgas murteas,* CXXV: *vinum murteum* = vinum murta nigra siccata conditum.

**Vin-eus* autem in prisca Latinitate non iam servatum est nisi substantivo *vinea*[1]). Neque enim dubium est, quin nomen *vinea* principio forma feminina numeri singularis adiectivi **vineus* pristini sit. Ei quod subest vocabulum, cuius vice Romani voce *vitis* utuntur, nescio quomodo atque quo tempore periisse videtur. Quod quale fuerit, non difficile est intellectu; nam in lingua Latina vocabula arborum pleraque nomina in *-us* exeuntia fem. gen. sunt velut *populus, pinus, malus, pirus, cornus, laurus, buxus, fagus, ulmus, prunus, cerasus, alnus, fraxinus, corulus, aesculus, cupressus, cedrus* (cf. p. 24), at vocabula fructuum plurima sunt nomina in *-um* exeuntia neutr. gen. velut *pirum, malum, prunum, pomum, vinum.* Atqui valet haec ratio pro portione

pirum malum prunum:*pirus malus prunus* = *vinum*:**vinus.*

Quae forma Graeco οἶνος ⟩ **voinos* servatur. **Vineus* igitur ex voce **vinus* descendit. Iam cum aetate litterarum Latinarum ineunte et substantivum **vinus* et adiectivum **vineus* evanuissent, Catonis temporibus a vite *viti-gineus* (v. p. 21 sq.) formatum est. *Viteus* legitur primum apud Varronem (r. r. I 31, 4).

Ac primum nomen *vinea* = *vinea arbor* exstat Cat. de agr. XXXII 1: *vineas arboresque mature face incipias putare,* XXXIII 4: *vineas novellas alligato crebro*; deinde *vinea* = *vineae* »Weinstöcke« = »Weingarten, Weinlaube« legitur ibid. XI 1: *quo modo vineae iugera C instruere oporteat,* XXXIII 3: *in vinea vetere serito ocinum,* itemque I 7, VI 4 bis, XXXIII 1, 2, 3 bis, 5, XXXVII 5, XXXXIII 2, IL 1, 2, L 2 ter, LVI XCV 1, CXII 2, CXXXVII, eadem denique denotatione ad instrumentum illud militare translata Plaut. Mil. 266: *ad eum vineam pluteosque agam.*

Forma autem *populeus* = *populneus* (cf. p. 24) ab Ennio demum metri causa[2]) creata est (ann. 577: *populea fruns*).

Ad ea exempla etiam adiectivum *nuc-eus* (Cat. de agr.

---

[1]) Huc non pertinet illud *vin-eus,* quod Plautus ex vino neutr. g. derivavit (Curc. 139), quode conferas supra p. 9.

[2]) v. Ernst Bednara A. L. L. XIV p. 593.

XXXI 2: *nuceam materiam,* XXXI 1: *virgae aridae nuceae*) et substantivum *mustāc-eus*[1]) (ibid. CXXI) a stirpibus *c* littera terminatis deducta sunt.

§ 15.

Quibus omnibus denique adiectiva, quae suffixi *-eo-* ope a graminum vocabulis formata sunt, adiungimus haec:

ador-eus (Cat. de agr. XXIV 2: *semen adoreum*),

tritic-eus (ibid. LIV 2: *paleas triticeas,* LXXXVI *graneam triticeam*),

siligin-eus (ibid. LXXV, LXXVI 1, CXXI: *farinae siligineae*),

blit-eus, quod non utitur nisi significatione translata = *inutilis, a blito herba nullius usus* (Non. p. 80)[2]) (Plaut. Truc. 854: *blitea meretrix,* Cas. 748: *nil moror barbarico bliteo,* quo loco forma neutr. gen. pro substantivo *blitum* usurpatum videtur[3]).

§ 16.

Reliquum est, ut de alia contaminatione suffixi *-eo-* materiem vel originem denotantis agam, dico suffixum *-ceo-*. Quod suffixo *-eo-* ad stirpes *c* littera terminatas addito natum est. Cuiusmodi adiectiva apud scriptores antiquissimos reppeperimus haec:

Plauti: *faec-eus, pumic-eus* (cf. p. 14),
iunc-eus (cf. p. 13),
Catonis: *nuc-eus* (cf. p. 35),
tritic-eus (cf. supra),
rusc-eus (cf. p. 13),
substantivum *mustāc-eus* (cf. supra).

Talibus in formis terminatio *-ceo-* suffixum liberum facta est. Cuius ope adiectivum *hederā-ceus* = ex hedera ortus (Cat.

[1]) Legitur mustax Plin. XV 127: *Pompeius Lenaeus adiecit quam mustacem appellavit, quoniam mustaceis subiceretur.* Quare ante Pompeium Lenaeum *mustax* videtur fuisse ignota. Quodsi Cato praeter folia laurea ad mustaceos coquendos etiam mustum adhibitum esse tradidit, factum esse potest, ut vox *mustaceus* non suffixi *-eo-* ope a mustace, sed suffixi *-āceo-* ope a musto deducta sit.

[2]) v. Thes. l. L. s. v.

[3]) Leo in editione confert ad hunc locum Diphilum ἐν Ἀπλήστῳ (14 K).

de agr. LIV 2: *frondem hederaceam,* CXI: *materia hederacea, vas hederaceum*) est formatum. Nam quamquam ex hedera etiam suffixo *-eo-* → **hedereus* quemadmodum *herb-eus* ex herba, *lan-eus* ex lana, *flamm-eus* ex flamma, *cer-eus* ex cera, *caud-eus* ex cauda (v. p. 15, 11 sqq.) derivari poterat, tamen formae hoc suffixo a stirpibus, quae in *a* vocalem exeunt, deductae, quoniam ab origine illius suffixi nimis abhorrent, ut rarae sunt, ita apud scriptores antiquissimos non ita saepe occurrunt. Hinc tu explica, quod Cato non vocabulo **fab-eus,* sed adiectivo *fabā-ginus* utitur, hinc, quod non **heder-eus,* sed *hederā-ceus* dicitur[1]). Tum ex eis nominibus, quae exitum *-āceo-* praebent, suffixum *-āceo-* prodiit. Verum fontes, ex quibus illud fluxit, videntur esse duo; quorum alter est ea formatio, qua suffixum *-eo-* ad stirpes suffixo *-āc-* terminatas accessit, velut *must-āc-eus,* si modo hoc nomen a mustace descendit (cf. p. 36), alter est ea, qua suffixum *-ceo-* ad voces in *a* vocalem exeuntes est additum, velut *hederā-ceus.* Secundum illam fortasse nomen *vin-āc-eus* (Cat. de agr. passim) natum est, secundum hanc *horde-āceus*[2]) (ibid. LXXXIX: *farina hordeācea,* CLVII 5: *farinam hordeāceam,* CLIV 2: *paleas hordeāceas*). Quodsi quaerimus, cur ad adiectivum a hordeo formandum suffixum *-āceo-* adhibitum sit, suffixum *-eo-* non facilius quam ad oleam addi potuit; accedit, quod id ipsum hordeo iam continetur; nam *hordeum* nihil aliud est nisi forma neutr. gen. adiectivi pristini **hord-eus,* ad quod *semen* vel *granum* videtur supplendum esse. Quae autem vox primitiva pro recentiore nomine *hordeum* fuerit, ex linguis Graeca et Germanica sequitur; nam formis κριθή »Gerste« vocem Latinam pristinam fuisse **horda* ⟩ **horsda* elucet.

Eodem denique suffixo *-āceo-* ex aere adiectivum *aer-āceus* derivatum est, quod in notis Tironianis 101, 39 (Schmitz)[3]) legitur, verum ne a prisca quidem aetate alienum videtur fuisse, cum in vasculo Campano Fridr. Weege (Vasculorum Campanorum inscriptiones Italicae. Diss. Bonnae 1906 nr. 37) formam *aeraciam* (sc. *amphoram*) invenire sibi visus sit.

---

[1]) *herb-āceus* Plin.

[2]) cf. *porr-āceus* a porro et *surcul-āceus* a surculo (Plin.).

[3]) Vitr. III 1, 82: *denarius aeracius.*

Index I.

Index II.

Conspectus.

Vita.

Natus sum Carolus Julius Schwede a. d. IV. Non. Jan. anni MDCCCLXXX Barzdorfi in vico Silesiae Austriacae patre Carolo matre Augusta e gente Simon. Patrem carissimum pridie Idus Febr. huius anni de vita decessisse vehementer doleo, matrem superstitem grato pioque animo veneror. Fidei addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis Alzenaviae in vico Silesiae Borussicae per sex annos imbutus inde ab anno MDCCCXCII usque ad annum MCMI gymnasium frequentavi Bregense. Maturitatis testimonium adeptus universitatem Gryphiswaldensem petivi, ut litteris imprimis Graecis et Latinis studerem. Docuerunt me viri illustrissimi Gercke, Heller, Koerte, Kroll, Seeck, Siebs, Zimmer, proseminario philologico benigne admiserunt Koerte et Kroll.

Deinde vere anni MCMII Argentoratum abii ibique per unum annum scholis interfui virorum illustrissimorum Keil, Hübschmann, Michaelis, Neumann, Plasberg, Reitzenstein, Thraemer, Ziegler et proseminario philologico moderantibus Keil et Reitzenstein.

Tum Vratislaviam ad studia mea absolvenda veni, cuius academiae Viadrinae civis usque ad hoc tempus fui. Audivi viros doctissimos Caro, Cichorius, Ebbinghaus, Foerster, Freudenthal, Hoffmann, Jacoby, Kampers, Kaufmann, Muther, Norden, Skutsch, Stern, Wendland, Ziekursch. Sodalis fui proseminarii philologici rectore Skutschio, archaeologici rectore Foerstero, deinde hospes seminarii archaelogici eodem rectore, sodalis verus seminarii philologici auspiciis Foersteri, Nordeni, Skutschii, historici moderante Cichorio, philosophici moderante Freudenthal.

Quos omnes praeceptores, praeter ceteros autem Franciscum Skutsch, qui studia mea cum alia tum grammatica summa benevolentia adiuvit, pia grataque memoria me semper persecuturum esse polliceor.

Vita.

Natus sum Carolus Iulius Schwede a. d. IV. Non. Ian. anni MDCCCLXXX Sarasciae in vico Silesiae Austriacae patre Carolo matre Augusta e gente Simon. Patrem carissimum pridie Idus Febr. huius anni de vita decessisse vehementer doleo, matrem superstitem grato pioque animo revereor. Fidei addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis Alexandriae in vico Silesiae Borussicae per sex annos imbutus inde ab anno MDCCCXCII usque ad annum MCMI gymnasium frequentavi Hirschbergense. Maturitatis testimonio accepto universitatem Gryphiswaldensem petivi, ut litteris linguisque Graecis et Latinis studerem. Docuerunt me viri illustrissimi Gercke, Heller, Kuerio, Kroll, Seeck, Siebs, Zimmer; proseminario philologico interesse permiserunt Kuerio et Kroll.

Deinde vere anni MCMII Argentoratum abii ibique per unum semestre scholis interfui virorum illustrissimorum Keil, [illegible], Michaelis, Neumann, Puchstein, Reitzenstein, Thraemer, Ziegler; in proseminario philologico sedentibus Keil et Reitzenstein.

Tum Vratislaviam ad studia mea absolvenda redii, cuius academiae Vratislaviensis civis usque ad hoc tempus fui. Audivi viros doctissimos Cichorius, Ebbinghaus, Foerster, Freudenthal, Hillebrandt, Jacoby, Kaufmann, Kühnemann, Müller, Norden, Skutsch, Stern, Wendland, Zacharias. Sodalis fui proseminarii philologici rectore Skutschio, archaeologici rectore Foerstero, deinde tempus seminarii archaeologici eodem rectore, sodalis veteris seminarii philologici auspiciis Foersteri, Nordeni, Skutschii, historici moderante Cichorio, philosophici moderante Freudenthal.

Quos omnes praeceptores, praeter ceteros autem Wendlandium, Skutschium, qui studia mea cum alia tum grammatica summa benevolentia adiuvit, ut [illegible] gratias me semper persolvere [illegible] profiteor.